

THESES SYLLOGE DESENITIS  
MONUMENTORUM,

AD

ILLUSTRANDAM

HISTORIAM FENNICAM

PERTINENTIUM.

CUJUS PARTEM II,

CONS. FAC. PHILOS. IN REG. ACAD. ABOENSI,

PRÆSIDE

Mag. HENRICO GABRIELE  
PORTHAN,

Eloq. Professore Reg. & Ord. Eqv. Ord. R. de Stella Polari,  
R. Acad. Litt. Human. Hist. & Antiquit. R. Societ. Sc.  
Upsal. &c. Socio,

Publicæ bonorum censuræ submittit

JACOBUS SNELLMAN,

Ostrobothnensis,

In Aud. Majori die XX Octobr. MDCCCI.

H. A. M. C.

ABOÆ, typis Frenckellianis.

# THESES RESPONDENTIS.

## Thef. I.

**V**anum haud esse illud, quod vulgo fit inter Scriptores Romanos dis-  
crimen, quoque *Aurea* eorum *ætas* ab *Argentea* distinguitur, vel me-  
diocris in illis legendis atque conferendis adhibita diligentia docet.

## Thef. II.

Quod tamen eo trahendum non est, quasi vel omnia scripta que  
ad illam referre solent, æque præstantia atque ad imitationem commen-  
danda haberi debeant, aut inter Argenteæ *ætatis* Scriptores aliqui præ-  
æteris non multum emineant.

## Thef. III.

Præter lingvæ autem ipsius Latinæ corruptionem, per confluentes  
undique ex provinciis Romam, atque incolarum veterum, bellis maxime  
turbisque intestinis exhaustorum locum occupantes peregrinos, sensim ena-  
tam, intempestivum acutarum sententiarum studium, ortaque inde orationis  
obscuritas, scriptores plerosque profaciros Augusti *ætate* posteriores, im-  
primis inquinavit.

## Thef. IV.

Ac quamvis alia quædam ac omnino major in Oratore quam in  
Scriptore requiratur Perspicuitas; tamen ea virtus in hoc etiam tanti  
existimanda est momenti, ut quicquid ei repugnet difficultatemque &  
molestiam legenti creat, in vitio poni nunquam non beat.

## Thef. V.

Cum ea autem studium delectandi sapiens atque tempestivum, ar-  
cta adeo, maxime in scriptis popularibus, cognitione est conjunctum,  
ut laudem ejus haud parum adjuvet.

## Thef. VI.

Cumque delectatio in scriptis ad veritatem commendandam, ut ve-  
ritas ad corpus ornandum adhiberi debeat, facile intelligitur, illam to-  
tum aut summum adeo scriptoris studium, solam haud poscere.

## Thef. VII.

Sunt autem quædam vitia, delectationi inimicia, que in nullo scri-  
ptionis genere excusari debent (qualia sunt peccata contra genium lin-  
gvæ, verborum fordities, tautologię &c.). Alia contra ferri possunt,  
sed artem tamen atque facultatem bene scribendi auctori desse pre-  
dunt; ex cuius vel ignorantie vel neglectu qui laudem etiam venantur,  
rideri merito debent.

## III.

*Papa Honorius III prohiberi jubet commercia cum hostibus Ecclesiae Finlandensis.*

*Honorius Papa III Episcopo Finlandiae (a) &c. Cum sicut ex literis venerabilis fratris nostri - - Upsalen. Archiepiscopi nostro est Apostolatui referatum (?), Ecclesia tibi commissa de novo (b) ad agnitionem veniret veritatis, & a circumadjacentibus barbaris nationibus, quæ plantacionem novellam eradicare nituntur, tribulaciones multas sustineat & pressuras, ac earum fævitia ex subtractione mercimonii possit non modicum cohiberi (c); auctoritate tibi præsentium indul-*

C

ge-

- a) Ad Episcopum *Finlandiae* (Thomam?) hanc fuisse scriptam Epistolam, valde est verisimile, confirmatque Upsalensis Episcopi pro eo ecclesiisque ejus interposita apud Papam bona officia. Cfr. Bulla Gregorii IX data d. 23 Jun. 1229, infra afferenda.
- b) Aut *nuper*, aut potius *rursus*, postquam nempe prima Christianismi semina a R. Erico S. (more temporis, bellando non docendo) sparsa, per incursiones paganorum fuisse fere extincta? Laudem vero hanc, restituti apud majores nostros cultus religionis christianæ, Thomæ in primis deberi studio, operæ atque diligentia, apparent.
- c) De accolis agi Sinus Fennici liquet, *Estonibus* (maxime *Ostiensibus*), quos sœpe *Curones* olim, ex nomine vernaculo insulæ suæ *Kurre saar*, dictos fuisse GRUBERUS suscipietur), *Tavastis*, *Careliis*, & *Russis* (horum sociis);

gemus, & Christianos circum manentes, ne ad eos  
navigent & *virtualia seu alia necessaria* deferant, mo-  
nitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appelle-  
lacione remota, compescas. Nulli ergo (d) &c. no-  
stræ concessionis infringere. Si quis autem (d) &c.  
Datum Laterani Idibus Januarii anno V (D. 13 Jun.  
a. 1221).

Legitur apud eundem VASTOVIVM p. 170, re-  
petita ab ORNHJELMIO in *Vita Ponti De la Gardie*  
p. 28. Cfr. A CELSE l. c. p. 58 N:o 16; & Annott.  
*ad Juveni Chron.* p. 106 Not. 76.

cum quibus in primis Wisbyenses mercaturam his tempo-  
ribus exercuisse frequentem atque proficuum, constat: cf.  
(præter Bullas Papæ Gregorii IX. mox afferendas) *Chronicon vetus Livonicum* apud GRUBERUM *Orig. Livonie  
Sacrae & Civilis* p. 24. Consilium vero prohibendæ  
Christianis mercaturæ cum his gentibus, suggestum Papæ  
fuisse ab Hierarchis septentrionalibus, qui conditionem  
harum terrarum populorumque bene noscent, facile intel-  
ligitur. Cfr. Annott. *ad Juveni Chron.* p. 101 sq. 105  
sq. 179.

d) Formulae solennes, utpote notissimæ, sunt omissæ: Nulli  
ergo omnino hominum licet hanc paginam nostræ con-  
cessionis infringere, & sic porro; nec non: si quis au-  
tem hoc attemptare præsumferit, indignationem omnipot-  
tentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum e-  
ius se noverit incursum; aut tale quid.

## IV.

*Papa Gregorius IX jubet inquire de proposita ab  
Episcopo Finlandensi translatione Ecclesiae  
Cathedralis (a).*

*Gregorius Episcopus, servus servorum Dei, vene-  
rabili Fratri Episcopo Lincopensi, & dilectis fi-  
liis Abbatii de Gutlandia Cisterciensis Ordinis, &  
Præposito de Wisby Lincopensis Dyocesis, salutem  
& Apostolicam benedictionem. Venerabilis frater  
noster Finlandensis Episcopus nobis exposuit, quod  
in primitiva Christianismi plantacione (b), in parti-  
bus illis, Cathedralis Ecclesia sua fuit in loco minus y-  
doneo (c) constituta: unde petebat, ut (cum) nunc*

C 2

plura

(a) In veteri libro Aboënsi huic Epistolæ inscriptio hujusmo-  
di præmissa reperitur: *Bulla Gregorii de translatione  
Ecclesiae Katedralis a Råntamäki usque buc.*

(b) Tempus intelligi videtur R. Erici S. Finlandiam bello ad-  
orientis.

(c) Vulgaris est opinio, (vetere traditione, ac auctoritate  
etiam inscriptionis, quam antiquam manum Bullæ hujus  
exempli in libro Eccles. Aboënsi legendo præmisso do-  
cuimus, confirmata), Templum Cathedrale in Fennia pri-  
mum exstructum esse in Pago Råndämäki, spatio quadran-  
gis fere millarii Sveciei ab urbe Aboënsi & hodierni lo-  
co Templi Cathedralis distanti, ac idem esse quo hodieque  
ecclesia S:æ Mariæ s. Råndämäkiensis utitur. Dubium  
sane videri non debet, quin inde Cathedra ad Templum

plura loca, crescente in eisdem partibus per Dei  
graciam fide Katholica, magis ad hoc commoda esse  
noscantur, transferri Episcopalem Sedem ad locum  
competenciorem in sua dyoceſi mandaremus. Quocirca  
discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus,  
quatenus inquisita super hoc diligencius veritate, si  
rem

---

Aboënse fuerit olim translata, ac ibi aliquamdiu, antea-  
quam Aboam transferretur, collocata manferit; pluresque  
ibi præcorum Episcoporum Finlandensium fuisse sepultos,  
hinc vetus monumentum testatur. Sed eum locum pri-  
mum fuisse huic usui delectum, atque in Epistola Papæ  
spectari, vix credas? Ac suadere rationes videntur haud  
contemnenda, ut potius Templum *Nousisense* (sive hodiernum,  
sive aliud illo vetustius) huic fuisse usui primitus conse-  
cratum credanauis? Primo enim ibi *S. Henricum* fuisse  
sepultum novimus, (quo honore Ecclesiam Cathedram fu-  
isse orbatam, aut hanc alio loco quam ubi corpus sancti  
viri quiesceret, exstructam, vix putes?) atque ossa ejus  
inde Aboam translata. Deinde etiam *Thomam* Episco-  
pum ibi habitasse, inde suspicandi ansam arripias, quod  
*Wilhelmus Capellanus* suis, simul fuerit *Rector Ecclesiæ*  
*S. Mariæ de Nousis*? Cir. Annott ad *Juusteni Cbron.*  
p. 132 sq. Tum difficile est intellectu, cur pagus *Råndåmäki*, in ejusdem vicinia amnis situs, ac tantillo inde  
distincta intervallo, tanto incommodior locus haberi po-  
tuerit, ut Cathedram inde huc movere necessarium habe-  
retur? Situs sane loci & salubrior & lætior ibi quam in  
palude, ubi nunc urbs habetur Aboënsis, fuisse videtur?  
Adeo ut ex Ecclesia *Nousis* voluisse *Thomam* sedem suam  
potius ad pagum *Råndåmäki*, quam inde ad hodiernum  
Templi nostri Cathedralis locum transferre, probabile vi-

rem inveneritis ita esse, cum consilio ejusdem Episcopi & Clericorum suorum transferatis auctoritate nostra sedem eandem ad locum in eadem dyoceſi magis aptum. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, tu frater Episcope, cum eorum altero ea nichilominus exequaris. Datum Perusii X Kal. Februarii Pontificatus nostri anno secundo (d. 23 Jan. 1229 (d).

Habetur in antiquo libro privilegiorum Ecclesiae Aboensis (vulgo *Svartboken* dicto), qui in R. Bibliotheca Stockholmensi aſſervatur, Fol. 46. Cfr. A CELSE l. c. p. 62 N:o 3 (e) & Annott. ad Chron. Juuſt. p. 104 ſq.

C 3

V. Idem

deatū? Nulla quidem ſupersunt monumenta, quæ præterea doceant, cur ex Rändämäki Aboam, novo molimine, Cathedra rurſus fuerit translata: ſed quam pauca ſunt, quæ ex illis temporibus ſupersunt! — Nihil tamen niſi congetturaſt eſſe, quam in re obſcura afferimus, lubenter largimur. Cfr. Annott. ad Chron. Juuſt. p. 105 Not. 75, & p. 185.

(d) Die XIII Kal. Februarii datam eſſe, dicit A CELSE l. c. p. 62 N. 3: neſcio qua nixus auctoritate? In *Regiſtro enim Aboensi*, (onde omnis puto hujus rei fluxit notitia) X Kal. Febr. legitur; quod autem ibidem *alia manu* adſcriptum habetur: *Anno autem ſalutis noſtre 1358*, eo manifestiori vitio laborat, quo certius eſt, *Gregorium IX electum fuiffe Papam a. 1227*, d. 13 Kal. Aprilis. Vid. CIACONII *Vitæ Pontif. Romanor.* T. II, p. 65.

(e) Præter hanc Bullam, aliud mentionem facit ÖRNHJELM



V.

*Idem prohiberi jubet, ne mercatura exerceatur cum  
Ruthenis, Ecclesiae Fennicæ hostibus.*

*Gregorius Episcopus &c. venerabili Fratri Episco-  
po & dilectis filiis Præposito Rigensi, & Abba-  
ti de Dunemunde Cisterciensis Ordinis, Rigensis Dy-  
ocesis, salutem & Apostolicam benedictionem. At-  
tendens ille Evangelicus Paterfamilias, quod messis  
est multa operarii autem pauci, adhuc quasi undeci-  
ma hora vineæ suæ novos deputat vinitores. Inter  
quos venerabilis frater noster Finlandensis Episcopus,  
in Finlandia & terris vicinis (a) magnum populum y-  
adolatriæ cultui servientem Euangelicando nomen Domini  
nostrí*

(Hist. Sveonum Gotborumque Ecclesiast. p. 491) a. 1226 d.  
23 Jan. datæ, qua translationem Sedis Episcopalis Fennicæ  
ab eodem Papa permittam fuisse, tradit. Errorem in an-  
ni nota ab ÖRNHJELMIO indicata recte reprehendit A CEL-  
SE I. c. p. 62 N. 4. S.d totam Bullam alteram, licet il-  
lam etiamnum superstitem esse affirmet ÖRNHJELM, & sese  
illam in Bullario exhibitorum esse promittat, hujus errori  
& præcipitantiæ deberi, nec aliam esse ab illa quam nos  
dedimus, nobis certum videtur. Cfr. Annott. ad Chron.  
Juust. p. 104 & 184, ubi hallucinationes & turbas viro-  
rum doctissimorum circa hanc rem notavimus.

(a) Videtur Thomas Episcopus Finlandiae constitutus, præ-  
ter hanc provinciam, proprie sic dictam, eique adiectam  
Nylandiam, vicinam quoque Tavastiam & Careliam fidei  
Christianæ obsequio subjicere studuisse.

*nostri Iesu Christi, de novo, ut dicitur, acquisivit eisdem.* Denique Rutheni (b), qui propinqui sunt eis, minimum (c) abhorrentes ipsos pro eo quod fidem Katholicam suscepereunt, multipliciter deserviunt in ipsos, modis quibus possunt ad eorum interitum & dispendum intendendo (d). Cum vero universi fideles reputare debeant, in se ipsos fieri quod in eundem acquisitionis populum committitur a prædictis, qui Dei sunt & fidei Katholicæ inimici, discrecionis vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus

Mer-

(b) *Russos, genere quodam imperii, & maxime societate ac amicitia, cum gentibus sinui Fennico vicinis conjunctos hoc tempore fuisse constat, atque hinc ægre tulisse ubi novæ religionis ope easdem a sua societate disjungi viderent: unde consiliis doctorum, Christianam propagare fidem conantium, varia objecisse impedimenta, & paganis novum sibi obtrudi cultum religiosum ægre patientibus subsidia præbuisse, mirum videri non debet. (Cfr. Annott. ad Cbron. Juuſ. p. 115-118, & 139-142).* Inde vero factum, ut inter Religionis Christianæ hostes, a nostris, non omnino immerito, numerarentur.

(c) Aut legendum est *maxime* (vel fortassis *mire?*) *abhorrentes ipsos - - deserviunt, aut minime abhorrent in ipsos - - deservire, modis. Et c.*

(d) Hinc illæ inimicitiae perpetuae, quæ Svecos tandem ad Careliam, duce Thorkillo Canuti bello aggrediendam & suo imperio subjiciendam, impulerunt, ac bello cum Russis ipsis per tot secula gerendo Finlandiæque ab his misere vastandæ, caussam præbuerunt.

Mercatores de partibus vestris, ne mercimonia cum illis exerceant, donec desinant persequi de novo conversos ad fidem in terris eisdem, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellacione remota cogatis. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse; tamen frater Episcope, cum eorum altero ea nichilominus exequaris. Datum Perusii X Kal. Februarii, Pontificatus nostri anno 2:o, (D. 23 Jan. 1229).

Legitur ibidem Fol. 45 (e). Cfr. Annott. ad Chron. Juust. p. 101, & Access. ad Recensionem Celsianam Bullarii Romano-Sveog. p. 114 sq.

## VI.

*Idem Episcopum & Populum Finlandensem suo  
munit Patrocinio.*

**G**regorius &c. Venerabili Fratri Episcopo Linco-  
penſi, & dilectis filiis Abbathi de Guthlandia Ci-  
sterciensis Ordinis & Præposito de Wisby Linco-  
penſis Dyoceſis, salutem & Apostolicam benedic-  
cionem. Cum venerabilem fratrem nostrum Episcopum,  
Cle-

---

e) Similis plane tenoris Bullæ ad *Episcopum Lincopensem*, *Abbatem Gutlandensem & Episcopum Lubecensem*, eodem loco dieque datæ, subjicitur.

Clerum & Populum Finlandensem, sub proteccione receperimus Apostolicæ sedis & nostra, discrecioni vestræ per Apostolica scripta mandamus: quatenus non permittatis eos contra protectionis nostræ tenorem temere molestari, molestatores eorum indebitos, monitione præmissa per censuram ecclesiasticam, appellacione postposita, compescendo. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, tu frater Episcope cum eorum altero ea nichilominus exequaris. Datum Perusii X Kal. Februarii Pontificatus nostri anno secundo. (D. 23 Jan. a. 1229).

Legitur ibidem Fol. 46. Cfr. A CELSE l. c. p. 62, N:o 5, & Annott. ad Chron. Juusten. pag. 101, Not. 71.

## VII.

*Idem concedit Epistopo Finlandensi lucos & delubra, ritibus paganorum olim deputata, sibi vindicare.*

*Gregorius Episcopus &c. Venerabili Fratri Epis-  
po Finlandensi s. & a. b. Annuere consuevit se-  
des Apostolica piis votis, & honestis petencium pre-  
cibus favorem benivolum impertiri. Ea propter,  
venerabilis in Christo frater, tuis justis precibus in-  
clinati, lucos & delubra (a) deputata olim ritibus pa-*

D

gano-

(a) *Delubri* voce quid hoc loco Pontifex significet, non est

ganorum, quæ de novo per te conversi ad fidem, ecclesiæ tuæ voluntate spontanea contulerunt (b), ipsi ecclesiæ auctoritate Apostolica confirmamus (c). Nulli ergo omnino hominum licet hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumperit, indignacionem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Perusii II Kal. Februarii, Pontificatus nostri anno secundo. (D. 31 Jan. 1229.).

Habetur ibid. Fol. 46. Unde transiit in (edit. ab Erico Benzolio filio) *Apparat. ad Spegelii Hist. Eccles. (Skriftel. Bevis hörande til Svenska Kyrko-Historien)*

&amp;

---

facillimum definitu. *Ædes & templa* in honorem deorum exstructa, veteres Fenni ignorasse videntur. Certas igitur *areas & terras* cultui deorum consecratas intelligi debere putes, in ecclesiæ jam fructum adhibendas.

(b) Consensu igitur Populi Finlandensis fuisse sedi Episcopali, vel Ecclesiæ Cathedrali donata, videmus, non in privatum cessisse Episcopi dominium.

(c) Regis Sveciarum implorare auctoritatem minus necessarium videbatur, quam Papæ confirmationem comparare, quia videlicet terre hæ jam olim sancto usui a paganiis dicatae, ab incolis erant Christianæ cultus usibus conceitæ; necdum jus Magistratus in talia bona erat lege aliqua assertum. Ac videtur tota Ecclesia Fennica initio magis Ecclesiastico quam civili imperio fuisse subdita? Cfr. *Annott. ad Chron. Finl. p. 129 sq.*

& Acta Literaria Sveciae a. 1725 p. 62 (d). Cfr.  
A CELSE l. c. p. 62 sq. N:o 6. Annott. ad Chron.  
Juuft. p. 107.

## VIII.

*Idem prohibit mercaturam exerceri cum paganis  
Ecclesiae Fennicæ hostibus.*

Gregorius Episcopus &c. Venerabili Fratri Episco-  
po Lincopensi, & dilectis filiis Abbatii Gutlandiæ  
Cisterciensis Ordinis & Præposito de Wisby Linco-  
pensis Dyocepsis, s. & a. b. *Ex parte* venerabilis  
Fratri nostri Finlandensis Episcopi fuit propositum co-  
ram nobis (a), quod cum in Dyocepsi sua sit novella  
Christi plantacio, sic animos quorundam de Gudlan-  
diæ partibus cæca cupiditas occupavit, ut qui glo-  
riantur in nomine Christiano, paganis intendentibus  
ad exterminium plantacionis ejusdem, *in armis, equis,*

D 2

navi-

(d) Sed utroque loco a. 1228 pro' 1229' perperam indica-  
tur. Cfr. Annott. ad Cbron. Juuft. p. 181 Not. (38).

(a) Vel ex his verbis patet, Bullas has omnes Papales;  
(N:o III. V. VI. VIII. IX. X.) pro defendendæ & tutan-  
da Ecclesia Fennica datas, studio & curæ deberi Finlan-  
densis Episcopi (Thomæ), qui pro illa propaganda & mu-  
nienda nihil inexpertum omisit.

*navigiis, vietualibus & aliis mercimoniis subvenire (b)*  
 præsumunt: in quo pares aut etiam superiores in  
 malicia sunt illis, dum eis ad impugnandos Chri-  
 stianos necessaria subministrant. Cum autem fideles  
 deceat universos, non ad impedimentum sed aug-  
 mentum religionis intendere Christianæ, discrezioni  
*vestræ monemus & hortamur in Domino, per Apo-*  
*stolica scripta mandantes, Mercatoribus de Gotlandia*  
*interdicatis & inhibeatis expresse, ne paganis præ-*  
*dicatis in præmissis vel aliis audeant subvenire. Alio-*  
*quin eos qui contravenire præsumperint, per cen-*  
*suram ecclesiasticam, appellacione postposita compe-*  
*scatis. Quod si non omnes hiis exequendis &c. (ut*  
*supra N:o VI). Datum Perusis XIII Kalend. Mar-*eii, Pontificatus nostri anno secundo. (D. 16 Febr.*  
*a. 1229).**

Repe-

(b) Mercatura Wisbyensium hoc tempore florentissima, quæ  
 in primis cum Russis, (eorum interventu ad Indianum usque  
 extensa) Estonibus reliquisque Sinus Fennici accolis &c. gere-  
 batur, non facile passa fuit se religiosis Cleri consiliis cir-  
 cumstribi. Quin apparatu quoque bellico Gotlandos, Rigen-  
 ses, Lubeccenses &c. non dubitasse hostes illos Religio-  
 nis Catholice instruere, hinc discas. Merces autem ipsæ  
 (*arma, equi, navis, vietualia &c.*) quæ ad eos a Goth-  
 landis (& civibus urbium inferioris Germaniæ) mitteban-  
 tur, attentionem singularem merentur. Ferrum nec non  
*arma & lignamina, addis Bula Papalis proxime sequens.*

Reperitur ibid. Fol. 44. Cfr. Annott. ad Chron. Juust. p. 102, & Access. ad Recens. Celsianam Bullarii Romano-Sveog. p. 115.

---

## IX.

*Idem jubet Christianos inhiberi, ne ferrum, arma vel ligna paganis in Carelia, Ingria &c. habitantibus afferant.*

*G*regorius Episcopus &c. Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Upsalensi & Episcopo Lincopense &c. & a. b. Ad audienciam nostram pervenit, quod saevia Paganorum Kareliae, Ingriæ, Lippiæ (a), Wat-

D 3

lan-

(a) Nob. A CELSE (præunte PERINGSKÖLDIO) legit *Lappiæ; Liber* vero Privilegiorum Ecclesiæ Lincopensis, unde hæc Bulla transcripta est, aperte habet *Lappiæ*, vel *Lippiæ*, quod ad *Livoniem* trahere non ægre queas? Cfr. Annott. ad Chron. Juust. p. 775. Dubitationem tamen movet, quod nec *Estoniæ* hoc loco ulla mentio occurrat, & fuisse hoc tempore (initio seculi XIII) tractum *Estoniæ*, *Ingriæ* (Watlandiæ) vicinum, qui *Lappagunda* (*Lappakunda*, ditio *Lapporum*) vocaretur, testatur Chronicum Livonicum vetus a GRUBARO editum. (cf. p. 148, ubi legitur: "Post hoc in Gervam abierunt, & Provinciam, extremam versus Wironiam, quæ *Lappagunda* vocatur"); cuius tractus incolas piraticæ exercenda, vicinorum more, illos etiam induluisse, atque hinc in Bulla Papæ spe-

landiæ contra Christicolas regni Sveciæ (b) sic invaluisse dinoscitur, quod nisi eorum immanitatibus ab orthodoxæ fidei cultoribus viriliter obsistatur, de subversione ipsius fidei in circumadjacentibus terris dicti regni possit merito formidari. Nos igitur providere volentes, ne dictis paganis per detestandam temeritatem cujuslibet Christianorum aliquod subsidium fidelium illarum parcum valeat provenire, fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus omnibus Christianis parcum earundem ex parte nostra per vos vel alios sub poena excommunicacionis districte inhibere curetis, ne præfatis paganis in hujusmodi persequucione christianorum ipsorum persistentibus *arma, ferrum, lignamina* (c), seu alias res cum quibus christianos impugnant, quæ Sarace-

stari haud absurde credas? Unde emendare licet quæ disputavimus l. c. p. 102 sq.

(b) Non tam ipsam Sueciam, quam novam coloniam in Finlandiam deductam ac neophytes ibidem Christianos maxime spectari, verba adjuncta docent, *subversionem fidei in circumadjacentibus terris dicti regni* (Sveciæ) formandam ex istis Piratarum moliminibus esse, significantia.

(c) *Ligna fabricandis navibus apta* (*Skepps-wirke*) in primis his verbis intendi, res ipsa docet: nemoque non videt, mercaturam Wisbyensem & Germanorum cum his Piratis factam non parum similitudinis cum illa habere quam hodie cum Piratis Africanis Europæi exercent, ni-

racenis exhiberi a Christianis in generali Concilio prohibetur, deferre præsumant. Datum Lugduni V Idus Januarii Pontificatus nostri anno tercio (D. 9 Jan. 1230).

Legitur in Libro Ecclesiæ Lincopensis membranaceo MS. in Bibliotheca R. Stockholmensí affermato, Fol. v. 24. Unde transcripserunt Örnhjelmius & Peringsköldius iu Bullar. Cfr. A CELSE l. c. p. 63 N:o 7 & Annott. ad Chron. Juust. pag. 102 sq. atque pag. 775.

## X.

*Idem Militibus Christi in Livonia injungit, ut Ecclesiæ Finlandensi suppetias ferant.*

*G*regorius Episcopus &c. dilectis filiis, Militibus Christi in Livonia, s. & a. b. Cum pravi (an proni?) sint hominis sensus ad malum, sicut ex sensualitate caro vergit in culpam, ita vigore spiritus, procedente ac subsequente divina gracia, quilibet nisi debet ad veniam, & remedia semper inquirere quibus salutem valeat promerer. Cum igitur ex defensio-  
ne

si quod vestigalia quoque his pendere, adeoque superbiam & aviditatem illorum alere, turpis potentiorum invidia Christianos cogat.

ne fidelium contra paganos peccatorum remedium fideles quilibet consequantur, universitatem vestram rogamus, monemus attencius & hortamur, in remissionem peccaminum injungentes, quatenus ad provinciam *Finlandiæ*, pro defendenda novella plantacione ad Christi fidem in ea noviter converforum, contra infideles Ruthenos, personaliter accedentes, cum consilio venerabilis fratris nostri *Finlandensis Episcopi*, qui assumpit in præmissis partibus negocium fidei ex animo prosequendum, defensioni eorum insistatis viriliter & potentes (potenter), ita quod in illis partibus augeatur numero & merito populus Christianus, & vobis apud Deum accrescat cumulus meritorum, qui multo majora retribuit fideliter servientibus quam speratur: proinde attendentes quam salubre sit homini, pro illo animam suam ponere, qui pro se positam in vitam custodit æternam (a). Datum Anagniæ Octava Kal. Decembris, Pontificatus nostri anno sexto (d. 24 Nov. 1232).

Legitur ibid. Fol. 44. Cfr. Annott. ad Chron. *Juust.* p. 102, & 179 sq. Access. ad Recens. *Bullarii Celsianam*, p. 119.

XI. *Idem*

(v) Non est verisimile, Milites Livonienses, quibus satis negotii domi supererat in hostibus sibi propioribus debellandis, & miseris Lettis, Livonibus & Estonibus (sub prætextu Christianæ propagandæ fidei) jugo servitutis gravissimo opprimendis, huic mandato Pontificis paruisse,